QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,
DIE IOVIS XXVI. APRILIS.

M. LVDOVICO ROBILLART Doctore Medico, Moderatore.

Estne extremorum ab assumptis alimentis refrigeratio sanitatis signum?



ANITAS diuinum longéque blandissimum vitæ condimentum, sine quâ vitalis nusquam vita, propositum est artis Medicæ, vt & ipse quoque morbus, quem tum dignitate præcedit, tum tempore. Illius tuendæ data est omnibus prouidentia. Faciliùs valetudinarij quàm fortes & validi, cùm ægrotant, restituuntur. A morbis per contagionem afficiuntur plurimi, à sanitate sanantur nulli. Est sanitas affectus secundum naturam actionum causa, potestate definienda, operatione cognoscenda. Non relatio est, multò minùs substantia, sed qualitas primæ speciei, infimæque; inter quam & morbum non datur medium. Morbus contrarijs abigitur à Medico, sanitas ab ὑγιεινῷ (quem nonnisi ambiguè Medicum dixeris) similibus conseruatur. Sua signa habet illa, suásq; causas. Hæ sunt quæ natiuum calorem non extinguunt, obruunt, minuunt, sed conseruant aut excitant; vnde ἄσκησις ὑγιείης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων: illa quæ eundem vegetum demonstrant.



IQVIDEM calor natiuus verè elementaris, per analogiam cœlestis, præcipuum est animæ & domicilium & instrumentum, à quo omnis diuersitatis ratio petenda est, cùm animæ in omnibus sint æquales. Substantia est virium: ab eo perficiuntur omnia, corrumpitur nihil; proindéque cum flammâ ignis minimè venit comparandus: superflua solùm expellit, contra quàm externus, qui non ea modò, sed & vtilia simul trahit. In omnibus partibus non est æqualis. In corde & iecore multus est insitus, cæterarum partium cuíque pro necessitate concessus, carnosis quàm spermaticis copiosior. Pueris plurimus est & blandus, qui proinde omnium minimè ieiunium ferunt, & multis indigent alimentis: iuuenibus minor quibus pauciora alimenta sufficiunt: frigidis senibus paucus quibus pauca, eáque sicca. Hyeme in internis abundat, quo tempore paucus potus, sed meracioris vini, conueniens est. In somno pariter ad interiora recurrit, licet coctiones tunc non in ventribus modò, sed & in totâ animantium mole sint perfectiores. Hinc cœna prandio lautior fit.



RÆTER eam quæ cuíque parti propria est alimenti coctionem (ὁμοίωσιν rectiùs dixeris) publicæ duæ sunt: quarum prima in ventriculo fit, qui eis quos deuorauit cibis ac potibus oblectatur quidem & expletur; at nec eis, neque item eo quem ex illis generauit chylo enutritur. Secunda in iecinore, quæ eiusdem chyli in quatuor alibiles humores, vltima singularum partium alimenta, ex quibus vna sanguinis massa componitur, commutatio est. ola quæ vixerunt, vt conuerti in sanguinem, sic & nutrire nata sunt; elementa nusquam, non metalla vlla, non gemmæ, lapilli; neutiquam exceptis auro lapidéque bezaardico, sycophantarum friuolis. Ex quolibet alimento humores quatuor, sed inæqualiter, omni tempestate, ætate, temperamento, ab vnico hepatis calore simul generantur. In sanis abundat sanguis, à quo pituita, dein melancholicus humor, omnium denique parcissima bilis flaua: vt eam seruare videantur in homine proportionem, quam in magno mundo elementa, quibus non minùs respondent in qualitatibus, quàm in mole.



MNIS à calore coctio est, qui si validus sit, præsertim in ventriculo, cibos quantumuis ingratos, insuetos, solidos, frigidos, copiosos, crudos rectè coquet, non ascito sibi aliunde ab assumptis admotísue calefacientibus, aut ab externis partibus mutuato auxilio. Si debilis, ad insalubria (quæ modo grata sint sunt melioribus aliquando præferenda) atque insolita ne transeat. Ab assuetis non fit passio. Liquida solidis, tenuia crassis, calida frigidis, cocta crudis ordine præmittat; imò his relictis alia seligat: Neà cibis corpus, verùm ante semper exerceat: iram atque omnem animi excandescentiam & sedulam studendo, ludendo, mentis cogitationem à pastu fugiat, ne scilicet reuocato ab internis ad externa coctionis opifice, assumptorum coctioni minùs sufficiat, cui somnus visceribus & cerebro gratus, generandis & in suo centro continendis spiritibus suppetias feret.



IS eius caloris in coquendo robur & virtutem, vis & nosse inopiam? attende num plura post ciborum ἀνάδοσιν primæ coctionis excrementa succrescant; num liquidiora atque imperfectè cocta præterfluant; num illicò ab assumptis edulijs ventris aut nimia quàm par sit tensio aut ponderis sensus oriatur; num verò, & quod maximè, corporis extrema refrigerentur, perhorrescant. Siquidem id à quacúnque causâ fiat, seu quòd ab alimentis copiosioribus ventriculi calor, vt ignis à multo ligno suffocetur, extinguatúrue; siue intus recurrat externus interno socio fatiscenti opem allaturus; siue à diffusâ quoquouersum ciborùm atque potuum qualitate frigidâ; siue per viscerum actionem atque motum ventilato aëre, sicque, vt eius proprium est, refrigerato; siue ad externa denegato parciorum spirituum ad eandem coctionem necessariorum affluxu, natiui caloris tum insiti, tum influentis paupertatem atque imbecillitatem attestatur.

Ergo non est extremorum ab assumptis alimentis refrigeratio sanitatis signum.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS REGNAVLT, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXIX.